Quaestio Medica de quâ in schol. medic.rum disputabitur die Jovis septimo Aprilis. D. Rochon prudentiss. Moderatore.

An febrium omnium solae Putridae Purgaõem, et Sanguinis missioem admittant?

Febrium omnium communis una essentia, caloris ignei in corde primum accensi deinde in totum corpus diffusi intemperies est. Quae duobus suscipitur modis: Nunc alterationem per refrigerantia contraria: Nunc vacuationem quoque eius materiae in qua concipitur ardor, per generaliora duo praesidia, purgationem et sanguinis missionem. Alterationem omnes desiderant quidem, sed vacuationem solae quae promerentur, ut in quibus ~~each~~ cacochymia est aut plethora &c.

Ephemerae cum pestilentes sunt et hecticae, vitii utriusque sunt expertes. Illae enim in spiritibus tantum excitatae, ut celeriter generantur, ita celeriter dissipantur, humoribus quibus miscentur non infectis, transeuntque interdum in hecticas promptius quam in putridas. A causis vero externis quia ortum habent (quarum sola fere amolitio necessaria est) curatio facilior videtur quam dignotio, calore, pulsu et urina (quae febrium certa sunt signa) paulum a natura sua mutatis &c.

Hecticae vero ubi in solido cordis et reliqui corporis habitu exsucco et intemperie aequaliter adepto affirmatae, interdum per se initio natae, interdum aliorum affectuum velut ardentium et pulmonis immedicabilis ulceris sequutae, pulsu duro, doloris vacuitate, et calore praesertim a pastu invalescente cum nullo negotio se prodant, nunquam tamen aut aegre tantum evincuntur. Non igitur trahente medicamento, aut sectione venae vexandae: sed alimento medicato tum habitus, vel lacte asinino, et cremore ptisanae, item balneo et iis quae humectant revocandae &c.

Putridae inter utrasque mediae in humoribus praesertim vero in suo ipsorum succenso suam putredinem (cuius index velocior systole) ex cacochymia et obstructione contrahunt, sed intermittentes extra venas, cum frigore, horrore, et rigore saevientes (qui motus in aliis non sunt) unde quotidiana, tertiana et quartana pro materiae conditione: qua discussa ipsi paroxysmi desinunt. cur tamen statis diebus recurrant, naturae iustitiae quae ordinata est quam ipsi materiae causa adscribenda. Prompta proinde curatio est per analogum cacochymiae, quo tempore intermittunt, catharticum de obstructione et coctione praecedente: nec non per ~~sang~~ sanguinis missionem, verum multo parciorem &c.

Continuae porro quando putrescentes separatim in mole sanguinis humores aliquo invadunt, ut intermittentibus congeneres sunt, ita eadem remedia exigunt. sed cum in tota mole omnes pariter vitium faciunt (synocho sanguinea excepto, qui a putredine tutus nec intermittentem nec continuam facit) synochus vulgo appellata fit, quae biliosa accedit. Haec acuta est, quare occurre quod oportet tum purgatione, tum liberali sanguinis eductione a medico moliendum. Cuius dies ut plurimum decimus quarto terminatur: Et ardens (quae multo haustu frigidae extinguitur) minus periculosa est. Caeterae febres, etiam si pestilentes, pro modo quo illas imitantur regi possunt.

Ergo febrium oim solae Putridae purgaõem, et venae sectionem admittunt.

Proponebat Joannes Pidoxius Pictaviens. med. B. 1588.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE